

Johann Cothmann

**Prorector Academiae Rostochiensis Johannes Cothman, S. S. Theologiae
Licentiatus & professor Ad Exequias, Quas ... Margaretae Arnimbs/ Hodie hora
prima in templo Mariano paratas cupiunt viduus relictus & liberi superstites
moestißimi Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759720>

Druck Freier  Zugang



Cothman, J.,
in M. Arnimbs,
uxor. M. Siller.

R. 1631.

40.

PRORECTOR
Academiæ Rostochiensis
JOHANNES COTHMAN,
S. S. Theologiæ Licentiatus &
professor
Ad
Exequias,
Quas
Familiæ honestissima & laudatissima

M A R G A R E T A
A R N I M B E

*Hodie hora prima in templo Mariano
paratas cupunt viduis relicis & liberis
perfices mæstissimi*

Omnes omnium ordinum cives Academico
perhumaniter & officiosè
invitat.



ROSTOCHI

*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXI,*

PRORECTOR
Academie Rostochiensis
JOHANNES COTHMAN
S. S. Theologiae Licentiatus &
Professor.

Heander noster B. Lutherus in commentario suo,
quem scripsit in librum pri-
mum Mosis de calamitatibus
generis humani, insi-
gnem hanc & verissimam,
experientia teste, habet sen-
tentiam: si quis, inquit, enumeret omnia ge-
neris humani mala, inveniet tam copiosam se-
getem omnis generis calamitatum, ut præ me-
tu hoc unum à Deo sit expetitus, ne unam
horam in tantis periculis liceat vivere. Quid e-
nim morbos tantum commemoramus, omnes
creatüræ contra nos, & tantum non in perni-
tiem nostram armatæ sunt. Quot sunt
quos signis & aqua perdunt? Quantum à fero-
cibus & venenatis bestijs periculi est? Nec
tantum corpora nostra, sed alimenta etiam ad
aléndos nos nata, infestant. Hactenus Luthe-
rus, de calamitatibus locutus communibus, de-
qui-

quibus Cicero Attico suo scribens, ait: hæc pericula, quæ mihi communia sunt cum ceteris fortius feram. Quid autem de ærumnis judicabimus proprijs & particularibus, in individuo aliquem excruciantibus? numquid plurimos cum eodem Cicerone ex mœroris impatientia optare putamus: Hæc ad te die natali meo scripsi, quo utinam suscepimus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset. De vitijs insigne extat Apophthegma in Quæstionibus Tusculanis: est proprium stultitiae, aliorum vitia cernere obliuisci suorum. At calamitatum communium & particularium contraria natura est. Illas enim non adeo attendimus; has vero non obliviscimur: nam ubi dolor ibi manus. Calamitatum autem humanarum, nullam majorem esse, fidelis, piæ ac rei œconomicæ peritissimæ conjugis obitu asseverare non erubescimus. Id indicare voluit potentissimus Rex persarum Darius, qui duplice prælio ab Alexandro Magno victus, maxima imperij sui parte exutus, nullum tristitiae indicum dedit fertur; audita vero conjugis morte, manu oculis admota, lacrymis temperare non potuit. Unde historiarum monumentis proditum est viros sæpe plus conjuges

quam semetipsos dilexisse, cum tamen dicente
Cicerone, ne optandum quidem sit in amicitia,
ut me ille plus quam se amet. Cum illos qui no-
bis charissimi esse debeant & que ac nosmet i-
psos amemus: at plus fieri nullo pacto posse.
Contrarium autem testatur veritatis nuncia
historia. Cum enim Tiberius Gracchus an-
guibus domi suæ, mare & fœmina, apprehen-
sis, certior factus ab Aruspice, mare dimisso u-
xori ejus: fœmina ipsi celerem obitum instare:
Salutarem conjugi potius, quam sibi partem
sequutus augurij marem necari, fœminam di-
mitti jussit, sustinuitq; in conspectu suo sei-
psum in interitu serpentis occidi. Quid di-
cemus? num mutatis personis eandem & ho-
die peragi comœdiam affirmabimus? ut non
longe abeamus piè defunctam nostram, ejusq;
mæstissimum maritum contemplemur. Qui
si pari modo, conjugem vita functam conser-
vare posset, non leve periculum lubens subi-
ret: præsertim accurationi secum expendens
trutina desideratissimæ conjugis virtutes ma-
trem familias egregiè exornantes, quibus ita
fuit cumulata ut non multas pares, nullas vero
superiores habuisse verè dicatur. De erudi-
tione & doctrina fœminarum quarundam libri
testan-

restantur historici piè defunctam nostram licet
eo nomine commendare, institutionis defe-
ctus, non admittat, posse tamen eandem ab in-
genio, judicij dexteritate, alijsq; virtutibus se-
xui fœmineo non communibus laudari, illi non
negabunt, qui familiarius illa usi sunt, ut me-
ritò cum Socrate hæc & similia exempla consi-
derantes dicamus: muliebre ingenium nihil
esse quamcunq; ad rem ineptius virili. B. Lu-
therus de Rahele in partu extincta ait: miser-
randum est tam sanctæ mulieri, quæ fuit orna-
mentum istius domus, easdem difficultates ob-
jici, quæ impijs obvenire solent. Defunctam
nostram ornatum domus Sillerianæ fuisse,
vel ipsa invidia non diffiteretur, dolendum i-
gitur est, domum istam tanto ornamento or-
batam esse, quæ si supremo rerum omnium mo-
deratori Ter sancto visum fuisset, multis adhuc
annis eodem exornari, ac dilectissimo marito,
nunc viduo mœstissimo, & liberis relictis de-
functa nostra diutius solatio esse potuisset.
Cum verò programmatis hujus series piè de-
functæ nostræ genealogiam subjiciendam esse
admoneat, eandem paucis pertexemus. Vi-
tam ergo hanc ingressa est piè defuncta nostra
Margareta Arnims Anno 95. seculi superioris.

A 3

Aylum

Avum paternum habuit virum Reverendum
& Doctissimum Dn. Cornelium Arnim Illustris-
fimi & celsissimi principis ac Domini Domini
ULDARICI Ducis Megapolitani &c. illustris me-
moriæ, concionatorem Aulicum. Aviæ pa-
ternæ nomen quamvis nostram scientiam fu-
giat, pietas tamen illius maximè commenda-
tur. Avus maternus fuit Vir prudentissimus
Otto Schröder Senator hujus urbis dignissi-
mus, Avia verò **Agneta Bolten** matrona hone-
stissima. Pater ipsi fuit **Elias Arnim** civis &
negotiator hujus urbis industrius ac Vir inte-
gerrimus. Mater autem **Margareta Schröders**
fœmina lectissima His parentibus oriunda de-
functa nostra, honestè educta fuit, unde virtu-
tib⁹ illi⁹ allect⁹ vir-juvenis tum temporis Do-
ctiss. & florentiss. Dn. **Martinus Sillerus** honestè
illam ambijt & exambijt, ac Anno 1615. 20. No-
vembr. matrimoniali nexu illi copulatus fuit,
durante illo matrimonio sex liberos defuncta
nostra enixa est. duos filios & quatuor filias,
utpote **Agnetam** primam Anno 1616. 31. Augusti
natam, & eodem die, postquam sacramento
initiationis tincta fuit denatam, **Christianum**
Anno 1620. 24. Decembris, qui adhuc Dei gratia
superstes, spem patri non exiguum filium illum
fore

fore frugi facit. *Margaretam* Anno 1624. 13.
Augusti lucis hujus aura fruentem & eodem
Anno 19. Novemb. vita orbatam. *Margaretam*
Elisabeth Anno 1626. 13. Julij, puellulam elegan-
tissimam *Martinum* Anno 1627. 3. Novembr,
puerum scitissimum. Et tandem puellulam in
ipso enisu extinctam Anno currente 1631. 30.
Novembr. Quæ sicuti lucem hanc non aspergit,
ita piè defunctam nostram luce hac, partus dif-
ficultate privavit, & licet spes non mediocris
futuræ restitutionis affulgeret, vicit tandem
dolor, accidente febricula, quæ corpus viri-
bus alijs exutum ita debilitavit ut præterita
Dominica media prima promeridiana, post-
quam hora tertia matutina corpore & sanguine
Christi pasta, rebus humanis valedicens
Spiritum suum patri Spirituum in manus
commendavit. Hujus autem laudatissimæ fœ-
minæ exuyias cum hodie terræ matri reddere
mæstissimus viduus ac liberi superstites decre-
verint à vobis Civibus Academicis omnium
ordinum, spectatissimis summopere conten-
dunt, ut ad declarandam condolentiam fu-
neris deductionem honorifica vestra præsen-
tia ornatiorem reddere haud gravemini.

Quod.

Quod & ego meo loco, à vobis singulis fieri, amice rogo, hortor & moneo. Convenite ergo frequentes in templo Mariano ad horam primam & calamitosissimum seculi hujus statum Deo cuncta mutare valenti pijs precibus commendate. P. P. Rostochij sub sigillo Academiæ 15. Decembris ANNO M. DC. XXXI.



testantur historici piè defunctam n
eo nomine commendare, institu
etus, non admittat, posse tamen e
genio, judicij dexteritate, alijsq; v
xui fœmineo non communibus lau
negabunt, qui familiarius illa usi
ritò cum Socrate hæ & similia ex
derantes dicamus : muliebre ing
esse quamcunq; ad rem ineptius vi
therus de Rahele in partu extine
randum est tam sanctæ mulieri, q
mentum istius domus, easdem diffi
jici, quæ impijs obvenire solent,
nostram ornamentum domus Sille
vel ipsa invidia non diffiteretur,
gitur est, domum istam tanto or
batam esse, quæ si supremo rerum c
deratori Ter sanctio visum fuisset,
annis eodem exornari, ac dilectiss
nunc viduo mæstissimo, & liberi
functa nostra diutius solatio esset.
Cum vero programmatihs hujus s
functæ nostræ genealogiam subjicit
admoneat, eandem paucis perte
tam ergo hanc ingressa est piè def
Margareta Urnims Anno 95. secu

A 3

